

chis de Murbello syndicus . . . ut per chartam . . . Thomæ Zabreria Not. MCCCXV., indictione XIII., die IX. septembris . . . & Manfredus Baxardus de Cassinellis syndicus . . . ut per chartam . . . Petri Presbiteri Not. MCCCXIV., indictione XII., die II. madii, communi consensu declarant prohibitionem præcedentis sententiæ vigere a S. Maria martii ad S. Mariam augusti. Adant autem intelligi in bandita hominum de Murbello supra stratam Coraxi, sicut extenditur fossatum Porraciæ, & a fossato Porraciæ, sicut vadit fossatum Canelletæ, & sicut vadit pratum illorum de Salvago usque ad Grippam, & a gripa usque in costam de Gorretis, & a costa Gorretæ, sicut vadit boscum Johannis Borei usque in monte, & a monte, sicut vadit costa Prestuphi usque ad podium Bardoni, & sicut vadit confines illorum de Murbello, & Ponzono usque in fossato Mandriæ, & a fossato Mandriæ usque in strata Cauterii, & sicut vadit dicta strata in la Viglante solvat pro banno illi de Cassinellis sol. XX. Terdon. & illi de Murbello solvat unum castronum (quorum hannorum medietas sit D. Isnardi, & medietas communi de Murbello.) Interfuerunt testes vocati, & rogati D. Bonifacius de Zabreria, Magister Lautellinus de Uvada, Gulielmus Natta de Murbello, & Gulielmus Perraza de dicto loco. Ego Paganus Caligarius Imp. auct. Not. &c.

(a) Hoc anno numerabatur indictio X., quare, vel indictio, vel annus mendosus est. Puto ego potius annum emendandum, ac MCCCXVI. reponendum. Probabile enim haud est procuracionem syndacis a Murbelli, & Cassinellarum oppidanis factam tot annis ante, quot interfuerunt inter MCCCXV., & MCCCXLII.

Testamentum Bonifacii marchionis de Carreto.

244

MCCLXXXV.

Anno Domini MCCLXXXV., indictione XIII., die Sab. V. exeunte mense februarii in castro Ponti præsentibus testibus suprascriptis. In nomine Dei Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, a quo bona cuncta procedunt, & gloriosæ Virginis Mariæ Matris Domini Nostri Jesu Christi. Amen. Quoniam ego Bonifacius marchio de Carreto timeo, ut in extremis morte, vel gravi corporis infirmitate subito præoccupatus non possim facere mea ordina-
40 menta, idcirco sanus mente, & corpore cupiens omnia mea bona disponere, tale facio testamentum. Inprimis statuo, volo, & ordino, quod omnia male ablata, & injuste per me acquisita, si quæ reperirentur, reddantur, & restituantur de bonis meis. Item statuo quod omnia debita solvantur creditoribus de bonis meis videlicet Ecclesiæ S. Alexandri de Cessolis libras C. Astenf. Item recepi in deposito a præposito Behliens. (Bubliens.) quandam pecuniæ summam de denariis decimæ deputatæ in subsidium terræ Sanctæ, de qua pecunia debeo solummodo solvere collectoribus dictæ decimæ libras CV., & solidos VI. Astenfes, & residuum totum ipsius depositi tenetur
60 solvere Vallierminus frater meus, sicut apparet per quoddam instrumentum factum de pactis, & con-

ventionibus habitis . . . & factis inter me, & ipsam Vallierminum in divisionibus, quas fecimus postea de bonis nostris. Item D. Percivallio de Lavania cognato meo libras CL. Frenis ipsorum, quas mihi existenti Romæ mutuavit. Item habui ab ipso D. Percivallio tantum pannum pro vestimentis familiæ meæ, qui valere poterat circa libras C. ejusdem monetæ. Item debeo dare Nicolosio, & Franceschino de Grimaldis libras XXXV. Januens. Item Aloysiæ de Canellis domicellæ Caracossæ uxoris meæ libras LX. Astenf. Item Manelluzio de Romania familiari meo perparos XVI. de auro. Item monacho Fructuariensi lib. X. Astenf. Item Anselmo Blanco de Rocha lib. X. Astenf. Item Gullielmo de Ecclesia de Ulmo lib. III. Astenf. Item quædam mulier de Inscia mutuavit cuidam familiari meo unum augustale de auro, quod expendit in meo servitio. Etsi reperirentur aliqua alia debita mea alicui restitui debere, volo, & ordino, quod reddantur, & solvantur de bonis meis. Item habeo quasdam alias quæstiones de pecuniis, & quibusdam aliis bonis, & rebus in dubio cum personis infrascriptis de quibus utrum teneam ad restitutionem ipsarum, aut non, sum incertus. Et quoniam dictas quæstiones habeo in dubio, non expresse ordinavi eas restitui, & solvi debere, verumtamen quia nimis magna scriptura, & verborum prolixitas esset ipsas oppositiones seriatim, ac totum factum, & processum ipsarum quæstionum modo, & forma, sicut eas habeo in præsentis testamento scribi, & recitari jussi, & volui, sicut sunt & sicut habetur de ipsis, ac totum factum, & processum ipsarum quæstionum modo, & forma, sicut eas habeo per ordinem scribi, & declarari in quodam alio publico instrumento inde facto a Geminiano Notario infrascripto hoc eodem anno, & indictione, die Sabbati V. exeunte mense febr. in castro Ponti ad hoc, ut de ipsis quæstionibus semper rei veritas inveniatur, & appareat evidenter, jubens, ut super his ab honestis, & sapientibus viris salubre consilium habeatur, & si quid re-
50 pertum fuerit, & consultum a me restitui debere de bonis meis restituatur, ac plenius persolvatur cui, vel quibus restituendum fuerit, & solvendum isti sunt illi, cum quibus habeo quæstiones in dubio, primo Rainerius de Monmoreto civis Astenfis, Martinus Beliziis de Rocca, heredes quondam D. Viniacis de Ponto, heredes quondam D. Blanchæ de Sexamo, Rolandus de Pontremulo, Magister Johannes de Cumis, Brozardus de Zezimis, & Prior S. Mariæ de Plano. Item lego, indico, ac dimitto pro anima mea, & remissione peccatorum meorum & ut Deus misereatur, & parcat animæ meæ, ac etiam dignetur in æternis habitaculis collocare, ac etiam pro monumento pro me construendo, & ædificando lib. CC. Astenf. videlicet Ecclesiæ S. Mariæ de Ponto, ad quam eligo, & ordino sepulturam meam lib. XXV. Astenf. pro missis, & orationibus ad Deum celebrandis, quas libras XXV. volo, & ordino dari, & poni in utilitatem durabilem Ecclesiæ supradictæ, seu in aliquibus possessionibus, vel aliis bonis immobilibus, quæ semper ad utilitatem ipsius Ecclesiæ permaneant, atque spectent. Item